



Primae circa generationem animalium et nonnulla de saporibus

<https://hdl.handle.net/1874/10228>

PRIMÆ COGITATIONES
CIRCA
GENERATIONEM
ANIMALIUM.
ET
NONNULLA
DE
SAPORIBUS.

A D
L E C T O R E M.

PRIMÆ hæ Cogitationes circa Generationem Animalium *cum Annexis de Saporibus cùm ad nos transmissæ forent*, Cartesiique factum eas esse fuisse affirmatum, è re duximus ipsas reliquis posthumis istius dissertationibus inserere, idque cum præ primis in finem, ut nihil eorum, que in operibus Cartesii Belgico editis idiomate reperiuntur, in hac nostrâ editione desideraretur. Latinum nostrum exemplar cum Belgico omnino convenit, sifimusque illud integrum, nulla immutatione factâ, licet multa in eo, quæ mendis laborant, forte possint inveniri. Ceterum num hac verè Cartesium Auctorem habeant, num sint supposititia, aliorum esto judicium. Fieri potuit, ut ab eo, qui illa descripsit, hinc inde nonnulla interpolata sint, quod posthumis operibus, præsertim quibus ultimam limam non adhibuerunt Auctores, non raro accidere nōrunt eruditii. Interim Tu B. L. hisce fruere,
vale.

PRIMÆ COGITATIONES
CIRCA
GENERATIONEM
ANIMALIUM.

DUplex consideranda est Generatio, una sine semine vel matrice, alia ex semine. Sunt vero quædam omnibus animantibus communia, ut sponte moveri, nutriti, &c., quæ omnium primò venire debent in considerationem, sunt deinde alia, quæ fere omnibus, ut videre, audire &c., quæ secundo loco examinanda sunt, & cur non omnibus insint, sunt quædam totius generis subalterna, ut bipedes esse omnium avium, quadrupedes ferarum, pinnas habere piscium: multipedes insectorum, &c., quæ tertio ordine erunt expendenda: quartò denique ad singulas species insimas deveniemus.

Omne animal, quod sine matrice oritur, hoc tantummodo principium requirit, nempe ut duo subjecta, ab invicem non valde remota, ab eâdem vi caloris diversimodè concitentur, ita ut ex uno subtile parts, (quas spiritus vitales deinceps appellabo) ex alio crassiores, (quas sanguinem sive humorem vitalem dicam) cogat erumpere, quæ partes simul concurrentes efficiunt vitam primò in corde, ubi est sanguinis cum spiritu animali pugna perpetua, deinde postquam sanguis & spiritus ita fuerunt unus ab altero domiti, ut in eandem naturam possint convenire, generant cerebrum. Cùm igitur tam pauca requirantur ad animal faciendum, profectò non mirum est, si tot animalia, tot vermes, tot insecta in omni putrescente materiâ sponte formari videamus. Hicque notandum est, pulmonem & hepar esse illa duo subjecta prærequisita, quæ hoc per venam cavam, illud per arteriam venosam materiam emitunt,

4 PRIMÆ COGITATIONES CIRCA


tunt, ex cuius concursu fit agitatio in corde, ipsiusque cordis substantia ex illorum materiis simul permixtis generatur, tuncque animal esse incipit; nondum enim est animal antequam cor factum sit.

In matricibus animalia sic formantur, primò, dum semen ingreditur vulvam, illud quod purissimum est, & quam optimè permixtum, priùs ingreditur, & profundissimum locum occupat, quia scilicet, quod subtilius est, celerius movetur, & facilius ex parentum corporibus excernitur; sequitur postea reliquum semen pau-

lo crassius, quod magis vergit ad os vulvæ; nempe fit os vulvæ D, purius semen occupat fundum A, crassius est versus orificium B, jam verò, si illud semen fit tantum ex uno parente, facile relabitur cādem viâ, quā ingressum est. Nihil enim est, quod illud ibi retinet ideoque non sufficit unius semen ad generationem; si verò parentis utriusque semina simul mixta sunt, tunc quoniam illa sine rarefactione permisceri non possunt, prout magis ac magis incalescent in vulvâ, eo magis inflantur. Est autem vulvæ compositio talis & structura, ut quo magis dilatatur, tanto magis ipsius orificium claudatur, cum verò constringitur, ejus os aperiatur. Hinc fit, ut in coitu aperiatur, cum vero concepit, & semen in eā inflatur, arctè claudatur.

Nunc semen ita in vulvâ conclusum temporis morâ quodammodo fermentatur, & matris calore concoquitur, id est, ejus partes subtilius inter se permiscentur; & quidem tunc partes accuratissimè permixtæ & temperatæ ad medium loci, in quo sunt, confluunt; nempe maxima pars, quæ reperitur, confluit in C, & facit cerebrum; toto vero tractu ab A & B confluit in spinæ medullam, ut hæc sit quasi rivus ex

crassioribus sanguinis partibus, quæ sunt versus os vulvæ, per quem subtiliores partes, quæ fortè inter illas existunt, ad cerebrum deferrantur,



GENERATIONEM ANIMALIUM. 5

rantur, reliquæ verò partes seminis, quæ non tam subtiliter miscentur, sed tamen satis commodè & sine magnâ repugnantia, cedunt in cutem, quorum ideo pars major versus B reperiatur; ex quâ materiâ fieri postea abdomen, crura & pedes; manentibus autem A & B quasi centiis, A quidem præcipue partium subtiliorum, sed etiam B crassiorum.

Interim verò, dum fiunt ista omnia, si alterutrius ex parentibus semen sit ita imbecillum, ut facile & absque magnâ controversiâ cum altero misceatur & illi cedat, tunc non generatur animal sed mola, si vero semen utriusque sit validum, non omnes ejus particulae possunt eodem tempore misceri, sed quædam fiunt magis contumaces, quæ proinde à reliquis separantur. Sunt autem illarum duo genera, nempe aliæ ex parte A subtiliores, aliæ ex parte B excernuntur, quæ duo nisi distinguantur, sed simul confluant, & facile convenient, rursus fit mola. Signum enim est A cerebrum ex B carnibus non rectè esse secretum, atque talis mola fortassis diu nutritri atque umbilicum habere potest; si verò ab invicem separentur, subtiliores quidem versus A faciunt pulmonem, quatenus est radix arteriæ venosæ, crassiores faciunt hepar, quatenus est radix venæ cavæ, sive unæ sunt spiritus animales, aliæ sunt sanguis. Unde vides, quare pulmo & hepar semper occupent illa loca, in quibus ea esse videmus. Fieri enim non potest, ut in alium confluant, sed pulmo debet infra collum ad spinam dorsi & hepar supranautes juxta eandem spinam, atque in iisdem partibus collocari. His autem omnibus factis, nondum est animal, sed postquam spirituum copia ex variis cerebri partibus in pulmonem confluxit, ibi congregatur & per unicum ductum arteriæ venosæ versus hepar fertur, (non potest enim in alias partes, quia veniens ex cerebro debet in partes oppositas ferti), contrà sanguis ex posteriorum partium massâ in hepate congregatus per communem ductum venæ cavæ fertur versus pulmonem, atque ita simul concurrunt vena cava & arteria venosa, primùmque illarum fibræ simul miscentur, & quodammodo in se ipsas revolvuntur, efficiuntque substantiam cordis; deinde spiritus & sanguis simul in corde permiscentur, cùmque actio spiritus sit celerior & subtilior, idcirco descendit magis versus hepar, sitque figura cordis versus illam partem acuminata, cùm vero actio sanguinis sit lentiior, & in corpore molis amplioris consistens, manet in superiori cordis parte, facitque illam ampliorem: miscentur autem

6 PRIMÆ COGITATIONES CIRCA

in corde sanguis & spiritus, incipiuntque ibi continuum illud certamen, in quo vita constat animalis, non aliter quam vita ignis in lucernâ, postea dispersi per totum cor sanguis & spiritus, dum inde exitum querunt, ut novo succedenti faciant locum, nullâ in parte facilius sibi viam facere possunt, quam juxta ea ipsa loca, per quae dilapsi sunt, quia tota reliqua caro, quæ dum generaretur à sanguine vel à spiritu ferebatur, magis compacta est. Hinc igitur effundunt sibi venam arteriosam, unâ ex parte, & arteriam magnam ex aliâ, quæ rursus propter vicinitatem simul junguntur, sed paulò post rursus separantur, quippe partes magis crassæ & sanguineæ in pulmonis jam aëris effusione exhausti alimentum reflectuntur: spiritus autem puri per aortam in totum corpus sparguntur.

Hicque incipit animal esse, quoniam ignis vitæ accensus est in corde. Fiunt autem hæc omnia ex solo femine caloris vi turgescente, (quemadmodum castaneæ turgent in igne) sed non potest semper turgescere, fiuntque hæc brevi tempore forsitan uno aut altero die, forsitan unâ horâ, est enim questio facti, nec ratione potest definiiri. Cum igitur cessat femen inflari, pergit nihilominus sanguis & spiritus versus cor confluere, utpote impetu jam facto, & ductibus eò præparatis, unde hepar exhauditur, ideoque necessariò aliunde trahit alimentum, hepar autem perforat sibi umbilicum, qui locus hepatis parti inferiori, & per quam maximè trahit, est proximus; contrà pulmo non potest lapsu temporis exhaudiri, quia sanguine nutritur, & ex solo sanguine vi caloris, qui est in matrice, potest fieri spiritus tenuissimus, ideoque potius redundat initio, quam desit embryoni, unde perforat sibi asperam arteriam, (a) quæ ideo forte est annulata, quia singulis vicibus, puta singulis diebus, vel tempore cuiusque diastroes, augetur uno annulo ab aëre, qui ex pulmone redundat, quo impletur, donec ad palatum usque pervenerit, quod non potest perforare propter cerebrum, sed per os & aures, & forte etiam per nares exitum querit, ut patet ex eo, quod palatum etiam talium annulorum speciem retineat, & figura oris oblonga palato subjecta id confirmat, non tamen illa potest statim perforare.

Accensâ autem vitâ in corde, statim arteria magna & vena cava-ramos incipiunt diffundere per totum corpus, cumque progrediuntur

(a) *Hæc infra scripta erant.* Crediderim magis illam fieri totam simul, sed in annos dividi propter motum aëris intus contenti, qui dum fit, assidue movetur, prout ferunt rudimenta respirationis.

GENERATIONEM ANIMALIUM. 7

tur tantum per vias, quas maximè apertas inveniunt, inde fit ut ambae similes faciant ramos, nec tamen ideo permiscentur, quia continent res naturâ nimis diversas, nempe sanguinem & spiritum; sed ubi una divisit materiam ad iter sibi faciendum, facilius altera eandem transit, inter cæteros autem ramos quidam adscendunt ad cerebrum, ibique in torculari Herophili uniuntur, quia materia longo tractu magis excocta incipit facilius misceri, atque ita mixta cerebrum alit atque auget, dum cerebrum augetur, emitit ex se nervorum conjugationes, incipiuntque omnia membranarum tum ex excrementis, quæ prima facit ab hepate splen & fel & vena porta, hepar trahit ad se sanguinem matris per umbilicum, simul venit aqua & spiritus, quæ sunt excrementsa umbilici, nec hepar attrahit purum sanguinem, itaque aqua per urachum descendit & format vesicam, tandem penem sibi perforat, per quem puer mingit in utero, quicquid medici in contrarium dicant. Spiritus autem transit per arterias umbilicales, + facitque ni fallor substantiam penis, sunt enim veræ arteriae iliacis implantatae, quæ augent arteriam magnam corde adhuc nimis exiguo, & parum vivaci existente. (a) Tertiò excrementsa venæ cavæ abeunt in renes, & ex renibus per ureteres in vesicam, sed partu jam grandiusculo, ideoque vesicam non perforant, quippe dum foetus est minor, id quod per emulgentes attrahitur est urinâ crassius, & ideo renum corpora componit. Quartò pulmonum excrementsa inflant asperam arteriam, ut dictum est, cordisque excrementum abit in venam arteriosam. Quintò, cerebri excrementsa varia sunt; primò ex totâ ejus substantiâ flatus quidam valde humidus per palatum erumpit, qui primò inflat buccas, sed nondum perforatas, deinde per œsophagum elapsus inflat etiam ventriculum, simulque cum ipso nervi sextæ & septimæ conjugationis delabuntur, notandumque, totam substantiam, ex quâ œsophagus componitur, & ventriculus, esse materiam ex palato vel potius excremente cerebri delapsam, unde fit, ut quamvis ventriculus sit amplius, membranas tamen habeat crassas. Postquam humor iste ex cerebro ad locum infrahepar possum pervenit, ibi stagnat & ita intumescit: impedit enim materia partium inferiorum, ne possit ulterius descendere, sed quia flatus intus conclusus assidue conatur erumpere, paulatim sibi per pylorum exitum facit; unde generatur duodenum & reliqua intestina per crebras revolutiones, donec

+ Videtur hic aliquid deesse usque ad litteram. (a)

8 PRIMÆ COGITATIONES CIRCA

donec per podicem, quem perforat, flatus iste possit egredi; perforatur autem pylorus, non alia pars ventriculi, quia fibræ ejus ita sunt dispositæ, ut nulla pars facilius possit extendi, quæm ea quæ ultimò facta est; pylorus autem totius ventriculi pars est ultimò generata. Omnia autem hæc fiunt ab excrementis medii ventriculi cerebri. Secundò ex posteriori sive cerebello flatus utrimque exiens aures perforat, cùmque is non sit copiosus, sed tantum in solidâ & crassâ materiâ consistens, hinc sibi anfractuosum iter facit. Tertiò ex medio & interiore cerebri ventriculo duplex genus materiæ utrumque redundat, viscosæ tamen & pellucidæ, tanquam gummi ex arboribus utrumque destillat & oculos componit, nec mirum illos postea ossium cavitatibus contineri: generatur enim antequam ulla ossa durescant; aliud excrementum, quod ex antterioribus cerebri partibus exit, siccus est, quia quod humidius erat in oculos transivit, nihilque aliud est, quæm flatus utrumque sibi nares perforans. Fiunt autem ista omnia statim & ab initio, & priusquam cutis à carne, caro ab ossibus, hæc à membranis & cerebro, & medullâ distincta sunt, vel certè simul tempore, sed nulla ossa durantur nisi multò post priusquam minxit puer per penem, flatumque emisit per anum, cùm palpebras & labia habet divisa, quia verò non mingit, nisi per vices propter vesicæ capacitatem, hinc sponte fit muscularus ejus os constringens.

Divisio autem palpebrarum fit paulatim humore subtilissimo per angulos oculorum utrumque delabente, & per medium palpebrarum sensim exspirante, adeò ut, dum illorum cutis formatur, ista rimæ paulatim tota operta sit, idem fit in labris & hymene; facit autem præcipue ad oris fissuram, quod mandibulæ inferiores alios habeant motus, quæm superiores. Quod ad hymenem attinet, in aliis citius, in aliis tardius, nec unquam planè in quibusdam, nisi per coitum, vel etiam interdum Chirurgi manu potest aperiri.

Valvulae vasorum cordis confirmant ea quæ dixi; in arteriâ enim venosa & venâ cavâ non impediunt descensum, sed redditum humorum, contrâ in arteriâ magnâ & venâ arteriâ, non impediunt egressum ex corde, sed regressum: quippe primò genitæ sunt ex eo, quod humor in corde existens egredi voluerit, & intercepta membrana inter humorum ingredi & egredi volentem replicata est in valvulam, ut si duos digitos ex contrariis partibus contra cutem

ipsum

GENERATIONEM ANIMALIUM. 9

teneas, ipsa cutis duplicata intra utriusque concursum ponetur. Sic aliæ passim valvulae in aliis vasis generantur.

Præcipua totius corporis valvula est epiglottis, cuius origo manifesta est: cum enim aer, ut dictum est, ascendat tantummodo per asperam arteriam, non vero descendat, sed contraria molles materies & flatus descendat ex cerebro in oesophagum per eandem viam, fieri non potuit, quin membrana inter utrumque intercepta abiaret in valvulam epiglottidem, cartilago vero scutiformis sit, quia decidens materia in oesophagum movet aerem in asperam arteriam contentum, adeo ut non amplius distinguitur in bullis singulis arteriarum annulos facientibus, sed plures bullae simul misceantur, sensimque per rimam infra epiglottidem delabantur, & eo tempore tremula epiglottis prima dicit canendi rudimenta.

Concursum autem venarum cavarum & arteriarum venosarum non fit infra dia phragma, sed supra, quia cum plus esset crassi in hepate, quam fluidi, tota ipsis materia in substantiam consistentem statim abit, tantumque partes ejus nobiliores egressae sunt, nempe per venam cavam, quae idcirco diaphragma permeavit, contra vero in pulmone cum plus esset fluidi, quam solidi, non statim exiverunt spiritus per arteriam venosam, sed potius ipsis pulmonis substantiam sufflaverunt, nec unquam fortasse ex iis arteria venosa emersisset, nisi prius fuisset a venâ cavâ lacerata; hoc autem impetu suo membranam tegentem pulmones quasi dividente, inde spiritus egredi coeperunt, simulque ex toto pulmone eò confluxerunt, unde vita facta est. Crediderim etiam auriculas cordis non aliunde procedere, quam quia, dum ista duo vasa simul concurrunt, quodammodo corrugantur, priusquam in cordis substantiam possint convenire, estque illa corrugatio, quam vocant auriculas cordis, sed ista sunt oculis intuenda, ut sciam recte conjecterim.

Mesenterium fit, quia intestina excavant sibi locum infra ventriculum, quod jam carnes posteriorum attingebat, itaque nonnihil carnium ipsis admixtum fuit, nempe melenterium.

Notandum, ossa componi ex subtiliori, magisque ad naturam cerebri accidente substantiam, quam carnem, ideoque plus ossium esse in thorace, nempe costas, quam in abdomen.

* Foetus propter sympathiam motus cum matre emitte penem tanquam ex dorso matris, id est, radice ejus existente versus matris dorsum terminatur versus ejusdem umbilicum; hinc fit, ut si ca-

* Hic paragraphus iterum deletus erat.

10 PRIMÆ COGITATIONES CIRCA

put embryonis sit versùs umbilicum foeminae, nates verò versùs spinam dorsi, fiat masculus, & penis foras exeat; si contrà caput embryonis sit versùs spinam, & nates versùs abdomen, fit foemina; recurvatur enim penis versùs umbilicum matris ad interiores partes embryonis. Hinc conjicere licet, cur mares sint magis ingeniosi, quia etiam pars feminis purior altius ferri potuit, ac proinde plus habebat virium, item cur sint robustiores, quia fœtus spina alitur prope spinam mulieris, item cur foeminae habeant posteriores partes ampliores, tum quia juxta abdomen matris, quod mollius est, quam spina, facilius possint extendi.

Tria tempora spectanda sunt in generatione fœtus. Primum est, quamdiu semen inflatur, quo tempore fit pulmo, hepat & cor, alterum, quo feminis massa cessat rarefieri, tunc que . . . * umbilicus, incipiuntque distingui materiae cerebri, ossium, membranarum, carnium & cutis; tertium tempus est, quo incipit nutriti per umbilicum, tuncque fiunt partes excrementitiae, quia nimis abundanter nutritur: primo vena porta generatur, dein splen & fel.

Hepar non habet arterias nec nervos, paucis exceptis per ejus superficiem sparsis, quia factum erat, antequam arteriae & nervi per corpus spargerentur.

Splen vero, quod postea factus est, quamvis sit viscus ignobile, ut vocant, plures tamen habet arterias, quam hepar, item etiam folliculus fellis; quippe tunc formata sunt, cum arteria magna ramos eò produceret prius, antequam nervi ex cerebro utpote remotiori eò usque pervenirent, ac proinde non habent nervos, nisi exterius sparsos.

Intestina verò & ventriculus, quae tardius & ex ipsis cerebri excremento producta sunt, nervos habent insignes & fere tota sunt nervea.

Pulmones etiam nervos non habent: sunt enim primo tempore producti, sed neque illos ramos accipiunt à venâ cavâ, vel arteriâ magnâ, quia etiam prius quam illæ facti & in perpetuo motu. Certum enim est, illos moveri in foetu, quicquid Medici harioalentur.

Notandum est, cum rami venarum & arteriarum per corpus spargerentur, arteriam occupasse locum qui liberior esset ad motum: hinc infra renes arteria supra venam ascendit, quia durities dorsi impediret ejus motum, hinc per totum corpus venæ subcutaneæ sunt supra arterias, quia in foetu cutis est admodum tensa propterea quod assidue augetur, arteria autem facilius movetur in cavis ossium, & inter carnes & musculos.

* hic deesse aliquid videtur.

GENERATIONEM ANIMALIUM. 11

Notandum etiam, motu arteriæ concendentis venam expellere à se ramos ex eo loco venæ productos, ut vel altius vel inferius successu temporis existant. Hinc puta in foetu emulgentes venas fuisse ab eadem trunci parte productas, efficit tamen paulatim motus arteriæ ex parte sinistrâ concendentis venam cavam, ut ipsa ex emulgente non à trunco cavæ ut sinistra duceretur. *

Certum est motum cordis efficere Symphatiā in toto corpore, ita ut si quid in unum pedem, aliud proportione in crus adversum immittat, si quid in caput, aliud in genitalia, quippe testes cerebro, penis aut vulva meningibus, cauda in animalibus caudatis . . . + & carnibus, ac denique scrotum cuti respondebit. Sed nunquam etiam motus cordis in matre per arterias umbilicales temperat motum cordis in foetu, & est tamen formatrix omnium membrorum exteriorum, unde ex læsiā matris imaginatione foetus monstrosa membra sortitur.

Ad motus animalium oportet notare, spiritus animales semper æquè celeriter moveri, quamvis nullos excitent motus in corpore, sed omnes motus corporis ex eo tantum fieri, quod isti spiritus animales moveantur in unam partem potius, quam in alteram: quam minima autem vis ad hoc sufficit, ut illos ad hunc illumve motum determinet, ut si super centro A pondus E stet in æquilibrio, sufficit vis quam minima potest fingi, ut pondus istud determinet ad cadendum vel in B vel in C, puta autem isti ponderi affixum esse musculum D. Ergo minima vis sufficiet ad fortissimè pellendum musculum D, mox in unam, mox

in contrariam partem, nec comparatio est tam remota; vis enim gravitatis est etiam commotio partium materiæ corporeæ, ut sunt spiritus animales.

* Dicunt tamen renem dextrum altiorem esse. + Omissum quid.

Nec mirandum est, in bruti cerebro esse satis multas diversas dispositiones, cùm videmus illa tot modis moveri: oriuntur enim omnes illorum motus à duobus tantum elementis commodis naturæ vel incommodis, idque vel singulis partibus vel toti, adeò ut, cùm sensus exhibent aliquid commodum toti, protinus ista motio, quæ efficit sensum, efficiat etiam motus omnes in aliis membris ad fruendum istis commoditatibus; si exhibent aliquid commodum uni parti tantum & alteri incommodum, motio illa quæ sentitur determinat spiritus animales ad efficiendos omnes motus possibiles in unâ parte, per quos fruatur isto commodo, & in aliâ, per quos fugiat istud incommodum.

Hinc dicimus, bruta nunquam peccare; hinc etiam multa nobis perfectius efficiunt, ut apes & aves nidos; in multis verò, quæ nobis facilia sunt, illorum impetus deficit, quia nempe ad id quod agendum est vel nullâ sensuum, vel à naturâ inditâ motione, quæ nempe erit etiam sensuum loco, impelluntur.

Memoriam habent, ut nos, rerum materialium, sed non habent cogitationem, nec mentem, motus in corpore à sensuum impetu dissentientes efficientes.

In Zoophytis, ut ostreis, spongiis, &c. saxum hepatis & aqua vel aér pulmonis loco est ad accendendam vitam; itaque nihil aliud habent nisi cor & carnes, vel forte etiam cerebrum, nempe nervum istum in ostreis, cuius ope clauduntur; nec verò possunt habere motum progressivum, relinquenter enim suum hepar & pulmonem, atque ita interirent, sed possunt à fluctu transferri, ut ostreæ cum cochleâ, quæ est saxum cui annexa sunt: ubique enim fluctus illis aquæ in locis adest, ad quæ transferuntur.

Bruta nullam habent notitiam commodi vel incommodi, sed quædam ipsis in utero existentibus obvia fuerunt, quorum ope creverunt, & à quibus ad certos motus impulsæ sunt, unde, quoties ille postea simile quid occurrit, semper eosdem motus edunt. Certum est, motum arteriarum in contrarias partes eodem modo pelle-re, ideoque ad caput & pudenda eodem modo, quæ ratio est cur mulieres longè magis afficiantur ab isto motu quam viri, habentque idcirco menstrua, quo mamillarum longè viciniores * sunt principio istius motus, præcipue fundus vulvæ, ad quem pertinent venæ breves à trunco cavæ desumptæ vel potius ab hypogastricis.

* Deficere hic nonnulla videntur.

GENERATIONEM ANIMALIUM. 13

cis. Crediderim plus feminis habere homines mares, quām foeminas, quia cūm via sit longior, melius ibi semen præparatur, contrā mulieres habere plus sanguinis menstrui, quia via brevior est.

Datā ratione, cur cor sit in sinistrā, facile sequitur, cur lien etiam sit in sinistrā & fel in dextriā, nempe in parte calidiori magis acescit sanguis, ut acetum ad solem, in frigidiori autem, quae est à corde remotior, magis exasperatur in bilem, eandem ob causam fel ex inferiore jecoris parte emergit.

Venam portæ patet genitam esse post carnes, quia ad illas solidas non pervadit, ut cava genita est eodem tempore, quo fel, splen, mesenterium & intestina.

Aorta primulūm crescere incipiens pergit infra jecur, ad locum per quem jecur trahit umbilicum, ibique existens, cūm jecur non trahat nisi sanguinem, spiritus in aortam ingreditur; neque enim tunc crassâ tunica obducta est, sed tenuissimâ, ut bullæ, quæ supra aquam sunt, unde oriuntur umbilicales arteriæ, primò una, sed crescente aortâ locus, cui umbilicalis est implantata, deorsum fertur, & umbilicales pertrahit secum ad ilia usque, ubi quia tota aorta bifariam dividitur, finditur etiam necessariò umbilicalis arteria in duas: sequitur autem aorta jecur, quia tunc crescit aorta, locumque ideo, quem maximè opportunum invenit, statim occupat, contrā flaccescit jecur, ideoque locum & aortæ relinquit & tunicis quibus involvitur, quæ intus aliquantulūm recurvantur, donec fiat umbilicus.

Credendum etiam est, humorem quendam serosum ab inferiore totius maslæ parte à jecore attrahi, qui perforato umbilico attrahit ad se serum sanguini & spiritui per umbilicum venienti immistum, unde fit ut per eum accumulata aqua formet vesicam.

Renes autem generantur, antequam tractus sit umbilicus, eo tempore, quo sanguine pergit cavam & spiritu per aortam, incipiunt tamen jecore flaccescente deferbere, nec ideo ad illam partem cavæ sanguis tam vivus pervenit, sed serum, colligiturque ibi infra jecur, & utrumque se extendit, ideoque efficit duos renes utrumque, illisque implantatur arteria, intusque miscentur, unde renum caro est minus rubra quām jecoris, & solida, hincque serum tantum illam perlabitur, non sanguis. Postquam verò cava & aorta ibi utrumque extensa aliquamdiu stagnaverunt, renesque ita conflaverunt, quod in iis maxime vivum est, per medium pergit versus anteriores

rem partem, ibique arteria, quia maximè viva, adscendit supra venum, tracto paulò pòst umbilico & per gente aquâ per urachum inflatur vesica, quæ renes contingens, propter humoris similitudinem illis adjungitur per vasa urinaria.

Sarcomata & carnium excrescentiae non naturales, quæ tamen sibi venas arteriasque producunt, demonstrant non aliam esse vim formatricem corporis, quam illam, quæ à nobis assertur.

Latus à corde magis remotum naturaliter est fortius & robustius, quia ibi minus pulsant arteriae, ubi plus sanguinis & nervorum potest congregari, ideoque utimur dextrâ manu commodius quam sinistrâ. Certum est foetum & edere, & urinam & stercus reddere, & his ipsis cum sudore mistis rursus ad os venientibus ali, quamdiu est in utero: qui enim fieri posset, ut solo matris sanguine crassò foetus trium dierum aleretur, & nihil excerneret? qui fieri posset ut octomestris esset ibi ore aperto, & nihil in illud stilaret? qui posset aliquid in ore habere & non deglutire? cum recentis natus inveniatur cum musculis in ore ita dispositis, ut non possit non intus admittere, quod in os injicitur, cur denique haberet podicem & penem perforatum? Dicamus ergo foetum primò ex solo semine fingi, deinde (imò etiam ab initio vorat, quicquid ei ad os accedit; gula enim genita est ante omnia) trahere umbilicum aliquid ex matris sanguine simul cum spiritu & sero, tum cum indiget paulò fortiori alimento, sejungi urachum & arterias ab umbilico, ac denique cum indiget adhuc fortiori, illum quicquid ibi prope os occurrit deglutire.

Hinc autem optimè explicatur, cur sit rima ab ano ad inguina, & crura bifariam secta, item cur cutis sit laxior in scroto, & sit futura inter podicem & penem &c. nempe cum primò urina multa & faeces versùs os pubis confluenterent, ibi & ingens foramen in osse pubis fecerunt, & cutem illâ in parte inflârunt, priusquam possent illam perforare, cum vero perforarent cutem cum in ano, tum in pudendis istis, faeces istæ omnes evacuatæ sunt, & cutis mansit flaccida & corrugata, fecitque ideo istam futuram & scrotum, cruraque manerunt bipartita, atque os pubis perforatum. Notandum; (a) faeces istæ sunt fatus & urina, non stercus, (fatus autem efficit æquè vel magis robustum quam aliae faeces.) jam verò si valentior sit foetus ex naturâ robustiori, plus urinæ ex eo purgatura est, quam stercoris crassi (tunc sola glans emersit ex cor-

GENERATIONEM ANIMALIUM. 15

corpore, quæ deinde præputio testa est flaccidente cute) ideoque penis prior perforatur & prominet, foetusque est masculus; si verò fœtus excernat plus solidi excrementi, retineatque intra se aquosos humores, sit naturæ mollioris, priusquam perforatur podes, per quem exiens solidum excrementum premit inguina, impeditque ne pudenda foras promineant, sed ea intus protrudit, & sit fæmina; si denique sit tam æqualis temperies, ut utrumque eodem momento perforetur, quod raro contingit, sit Hermaphroditus.

Contrarium dicendum, prius evacuatâ vesica laxari cutem inguinum, ut postea flatus adveniens illam foras protrudat, contrâ flatu laxato ante vesicam & scrotum & testes à vesicâ foras protrudi, laxâ cute, quæ in ano erat, ad scrotum veniente, atque hæc evidenter ita se habent. (b)

Exspecto cur aliquis cuperatâ fronte dicat esse ridiculum, rem tanti momenti, quanta est hominis procreatio, fieri ex tam levibus causis; sed verò quas velint graviores quam Naturæ leges æternas; fortè ut ab aliquâ mente fiant, à quâ autem, an immediate à Deo, cur ergo aliquando fiunt monstra? an à sapientissimâ istâ naturâ, quæ non nisi ex humanæ cogitationis desipientiâ habet originem.

Motus cordis apertè fit ex eo, quod statim atque sanguis & spiritus aliquid instillatum est per cavam & arteriam venosam, utrumque simul in illo incalsens rarefit, simulque & cor dilatatur & omnes arteriæ & vena arteriosa; quamdiu autem ita dilatatur per diastolem, nihil amplius in illud excidit propter valvulas: sed statim atque deferbuit, clauduntur arteriarum valvulae, & rursus aperiuntur cava & arteria venosa, atque ita guttatum & per vices influunt sanguis & spiritus in ventriculos cordis, ut si aquam in laterem calidum injicerem, ille ebulliret, &c.

Auriculae autem cordis impletuntur, cum valvulae cavæ & arteriæ venosæ clausæ sunt, & vacuantur iis apertis, quare illorum motus est cordis motui contrarius; dum autem fervet, est diastole eodem momento in corde & arteriis, postea verò, dum residet & novus humor illabitur, est systole.

Ut sciamus quid testes conferant ad barbam generandam, & cur

ca-

(a) Nota, hæc verba in Autographia ab a usque ad b deleta erant, & apposita sequentia. (b) Jam rursus auctor pergit per sequentia.

16 PRIMÆ COGITATIONES CIRCA

castrati barbam non habeant, & sint imbecilliores, & vocem habent acutorem, notandum est, ali testes à venis & arteriis correspondentibus iis, quibus alitur cerebrum, adeò ut in illis ingens copia spirituum assidue fiat, quæ per scrotum in auras transpirat; testes autem mulierum, quia in corpore inclusi sunt, nec potest ex iis quicquam exspirare, non tanto indigere alimento humido; illa autem, quæ ex testibus exspirant, reddunt corporis temperamentum multò siccius, sunt enim fluida; multò validius augetur enim calor siccitate, aique hoc est temperamentum, quod ad barbam submittendam requiritur, & quale nec in mulieribus nec in castratis existit: nam si forte in illis tale reperiatur, barbam quoque haberent, ut vidi mulierem non minus bene barbatam, quam ipsi viri sint, & virginibus plerumque, cùm sicciores evadunt senectute, barba etiam illis advenit.

Alvus est semper adversus spinam, & vesica adversus abdomen; flatus enim siccior est quam urina, faciliusque ideo versus partem magis osseam penetrat.

Initio conceptionis hepar occupat totam cavitatem inferiorem foelus, postquam vero cor generatum est, & vena cava ex medio hepatis emergens per dextrum latus ascendit, incipit hepar magis in dextrum latus recedere, tum deinde postquam traxit umbilicum, & sanguine matris affatim repletur, erumpit ex ipso ramus splenicus in cavitatem vacuam sinistri lateris, penetratque lienem, quasi hepatis appendicem. Est tamen longe alterius substantiae quam hepar: fit enim tantum à matris sanguine, hepar ex semine; præterea arterias admittit, quia post illas generatur, cumque ab illarum calore vis sanguinis in eo existentis educatur, & quodammodo enervetur, quia non ut hepar assiduâ chyli contrarietate irritatur, ideo humor in eo contentus aescit.

Dum recedit hepar ex medio corporis in latus dextrum, & ibi recenter tracto umbilico, magnâ celeritate augetur, nihil mirum, si in tam celeri concoctione bilis generatur, nec si illa in cystim fellis colligatur.

Lien est planus & oblongus, quia postquam factus est (quamvis aliâ figurâ, ut saltem impleat locum ab hepatem relicto) statim à ventriculo superveniente premitur juxta costas, & in istam figuram extenditur; vel fortasse etiam post ventriculum generatur.

Nisi hepar factum esset, antequam aleretur ab umbilico, non redundaret ejus caro in fœtu supra umbilicum, sed eadem cum illo proportione cresceret, imò etiam ista redundantia testatur, illud traxisse ad se umbilicum, extendendo saltem extremitatem suas contra cutem umbilici, à quâ postea separatae istam redundantiam fecerunt. Hocque adhuc magis manifestum est ex suspensorio ligamento venæ umbilicali, ut medio hepati, adhaerenti. Uterque aliunde non habet duas cavitates, quām quia interdum ab intestino recto, & à vesicā prorsus in embryone illam figuram induerit; item eadem causa est, cur rima, quæ os uteri appellatur, sit contrario sensu ei, quæ est ad pudenda; hæc quippe à femoribus pressa dicitur à podice versus umbilicum, illa vero à recto & vesicā pressa dicitur ab uno latere in aliud; perforant autem hærimæ ab humore, qui postea in menstrua crasfescit, & qui in viris per insensibilem transpirationem tum ex testibus, tum ex pene elabitur, quia foris extant, atque rimæ istæ sunt oppositæ. Ex crassitate colli matricis emergunt per ejus complicationem illæ carunculæ, quas spondylos vocant; clitoris autem est illud ex pene, quod jam emergerat, cùm primum minxit fœtus; nymphæ sunt fortasse ex cute viri præputio respondentem; labia autem sunt scroto respondentia. In viris autem præputium & glans sunt, quia ante primam tœctus mictionem tota glans emergit ex cute, sive potius generatur, & multum penis ipse extenditur; postquam autem semel vesica evacuata est, penis contrahitur, & ideo cutis conduplicata glandem tegit, contrahiturque in præputium, quia non amplius in tœtu glans exeritur extra istam cutem, neque enim amplius vesica ita impleretur, imò saepius mingit puer in utero, ut patet ex eo, quod infantes recens nati vix continent urinam, nec habeant sphincterem vesicæ tam firmum proportione aliorum membrorum, quām adulti, confirmatur ex eo, quod erigatur penis etiam absque ullo veneris stimulo, cùm vesica urinâ plena est.

Quæ de arteriâ venosâ supiâ dicta sunt, de asperâ arteriâ sunt intelligenda, quæ procul dubio ante cor, vel saltem simul est generata, sed hæc omnia sic facta fuisse suspicor. Initio materies pulmonum erat in medio thorace globi instar, & hepar erat instar alterius globi in medio abdomen; hi globi rarefacti à calore matris se mutuo contigerunt, ignemque excitârunt, id cor in mutuo illorum contactu; statim vero ignis ille caloris suum excrementum,

sive spiritum, non in hepar, sed per pulmones in venam arteriosam immisit; hepar verò & pulmo se mutuò contingentia sibi invicem adhæserunt, tanquam duæ materiæ viscosæ; cùmque postea removerentur propter motum cordis, remanserunt tamen conjuncta ex unâ parte per venam cavam, & ex alterâ parte per venam arteriosam, quæ ambæ procul dubio non aliam habuerunt originem. Hicque ex hepate sanguis subtilissimus etiam ad pulmones per arteriam venosam ascendebat, unde continuò refluerebat in cor; pulmones autem agitati motibus tum spiritus ex corde adventitiis, tum sanguinis ex cavâ, excreverunt ex se partes subtiliores, nempe multum flatûs, qui in medio mansit, implevitque asperam arteriam; quicquid deinde erat solidioris materiæ, circumquaque convolutum est in ipsam asperam arteriam, quæ aspera arteria medium thoracis occupans illum divisit in duos sinus, & dissepiens membrana ex eo facta est, quod asperam arteriam incluserit, sive quod membrana pleuræ & versus spinam, & versus sternum adhærens glutini instar illam produxerit. Hinc facti sunt duo lobi pulmonum.

Collum angustius est, quam thorax, propter inflexionem capitis, quæ fit, dum producitur totum corpus magis in longum quam in latum; producitur autem ita, & quidem collum præcipue, dum crescit aspera arteria, & œsophagus demittitur, qui difficilius collum pertransit, utpote magis carneum & osseum, quam thoracem, quare magis producit.

Fellis cystis debet formari post ventriculum, alioqui enim aliqua in illum vasa demitteret, sed cum stagnat ventriculus supra omentum, & inflatur, fel quoque formatur; ideoque in inferius orificium ventriculi vas demittit, nempe ad duodenum, hocque ipsum juvat, ut ventriculus se in aliqua intestina prorsus exoneret. vena portæ & ramus aortæ coeliacus simul cum ventriculo descendunt, ideo ab illis vasa habet, sed fortasse etiam descensus ex parte est illarum causa, nempe descendendo ibi aortam aperit, unde coeliaca mole suâ hepar premendo sanguinem ex eo exprimit, unde vena ad partes, sed & nervi sexti paris simul cum ventriculo descendunt è capite.

Lien post ventriculum formatur, nec obstat vas breve tale, in hoc enim ex ramo splenico ad ventriculum pervenit, priusquam ipse ramus splenicus ad lienem formandum confluxerit, quod nisi verum

GENERATIONEM ANIMALIUM. 19

rum foret , certè plura vasa ex liene , utpote maximè vicino , ad ventriculum devenissent.

Ex recurrentibus nervis clarè patet , asperam arteriam ex pulmonibus eductam esse ad fauces post * ventriculi ; nervi enim sexti paris cum ventriculo priùs descenderunt , ex quibus rami asperæ arteriæ adhæserunt , simulque cum illâ adscenderunt ; quamquam res sit oculis intuenda , fieri enim fortasse potuit , ut jam genitâ asperâ arteriâ nervi isti juxta pulmones reflexi sponte crescendo ad laryngem usque pervenerint . Videndum etiam , numquid isti nervi recurrentes juvent adscensum vaporum à ventriculo ad os & caput . (NB. Sed non est opus ; certum enim est per nervos spiritus non minus adscendere , quād descendere .)

Aspera arteria infra claves fit ex integris orbibus , suprà deficiunt orbes in posteriore parte , quā celophago jungitur & cohæret ; unde patet adhuc illam post hunc fuisse formatam .

Patet , diaphragma , sive septum transversum , non formatum fuisse , nisi post celophagum , &c. cùm ore perforato pectus separatim à reliquo corpore cœpit motitari ; tunc quippe , quicquid crassius erat , à clavibus ad abdomen per illum motum infrâ dejectum est , & inde diaphragma , quod patet ex eo , quòd habeat nervos tantum à colli vertebris , quod illi peculiare ex omnibus iis , quæ sunt infra claves , tum quia duas habet membranas , unam à pleurâ , aliam à peritonæo , tum quia carnosum est in ambitu , quæ caro non nisi ex materiâ costis adhærente potuit oriri , tum quia nullum planè nervum habet à sexto pari , ex quo ad pulmones , cor & hepar saltem , fibræ demittuntur , tum denique , quia habet foramina tam aptè disposita ad œsophagi & cavæ transitum , quæ non ita fuissent , si priùs genitum fuisset , sed ejus membranæ essent multò tenuiores inter ista foramina , quād in aliis locis . Item ex productionibus utrimque ad aortam prope spinam dorsi , quæ sunt quasi ex copiosiori stlicidio eò confluente genitæ , quia eò utrimque defluebat , quod ab aortâ impediebatur , ne in medio decideret , manseruntque istæ productiones oblongæ , quia ibi minor erat motus prope spinam , quād in costis , graciliores tamen propter aortæ pulsum .

Monströsæ sanè sunt opiniones , quas video in libris , & puto à Balano ortas , nempe foëtum sudare urinam per urachum , emit-

20 PRIMÆ COGITATIONES CIRCA

tere nihil per podicem, cessare omnem motum pueri, illum ore aperto nihil intrò admittere, singulas ejus partes sibi tantùm inten-
tas esse, nec fungi publico munere (tanquam si unum sine alio
fieri posset) non sunt h̄ic Politici, qui istud dicunt, cor non pul-
sat, sed ex umbilico spiritum assumere, &c. quæ experimentis
certis & dissectioni repugnant; contra quæ, quoniam Hippocrates
aliquid bene dixit in libris *de carnibus*, malunt negare, hoc ex Hip-
pocrate esse, quām fateri, illum tale quid sensisse.

Crediderim tamen, ea quæ semel per os pueri ingressa sunt, &
in stomacho fœtūs concocta, cùm ad sphincterem podicis perve-
nere, ibi ut crassiora immorari, tuncque primum sphincterem clau-
di ad horam partūs, nihilque amplius elabi per ejus podicem (de
urinā vero idem dici non potest) interim vero esitavit infans excre-
menta primā vice rejecta intra amnion, ut pullus ex albumine ad
partum usque; hæc autem excrementa ex cerebri pituitâ erant,
qualis etiam à pueris tota hauritur, neque enim spuunt.

Venæ, arteriæ, & nervi toto corpore sparguntur, ut rami in ar-
boribus, nec ideo mirandum, cur nunquam plures rami simul in
eandem partem corporis confluant, in aliam verò planè nulli, quia
se mutuo quodammodo impediunt, ideo plures simul non con-
fluunt, & propagantur, ubicunque locum liberum inveniunt, ideo
nullus sine his reperitur, ut vides in arbore ramos, etsi temere spar-
tos, tamen omnia in ambitu loca satis æqualiter replere.

Primarii autem rami in omnibus corporibus planè similes reperiun-
tur, quia hi correspondent præcipuis membris, & ossibus, quæ in
omnibus eadem generantur propter certas rationes, pauciores verò
sunt arteriæ quām venæ, quia illæ, cùm pulsant, sibi invicem magis
obstant, quām venæ, ideo rariū disseminantur.

Fiunt ex pulsū reciprocatione similes rami in summis & infimis,
unde partes generationi servientes habent originem, quia nempe
capiti respondent & carotidibus vasa spermatica, quæ non, ut illæ,
in aortæ bifurcatione, sed altius ortum habent, quia antea genitæ
sunt, quām aorta inferioribus partibus divideretur ad crura, hypo-
gastrica cervicali, pudenda musculæ, & epigastrica mammariæ ex
adverso correspondent, item testes oculis (ut patet in serpentum
fœtu) sed & fortè processus mammillares, dein & vulva, unde odo-
ribus etiam hæc movetur, glandi cerebrum & uterus, unde con-
ceptio pueri & appetitus venereus.

GENERATIONEM ANIMALIUM.


21

Valvulae generantur in locis, in quibus ex una parte humor fluit, ex aliâ renitur quidem, sed non refluunt, in quibus valvularum cavitas necessaria sit in illis partibus, ex quibus humor non refluunt. Tales sunt omnes valvulae cordis.

Tunica in venis & arteriis intus fibras habet rectas, quia humor intus fluens ita fertur, foris transversas, quia locus, in quo sunt, motui directo in totum repugnabat, alioquin enim hic ipse fuisse in venam vel arteriam conversus, neque enim illarum latitudo fuit terminata, nisi ubi materia circumiacens magis obstituit in transversum, quam illae potuerunt in directum. Denique in medio obliquæ fibræ, ut ex utrisque extremis participantes, existunt; idem de intestinis dicendum.

Mulieres habent ureteres breviores & latores, quam viri, quod manifestè confirmat id quod suprà dixi, illas in matris utero priùs urinam emittere, quam mares: sunt quippe latores, quia abundantior est illarum urina, in maribus vero sunt longiores, quia fatus priùs emissus spatium illis relinquit in abdominis capacitate, in quo possunt sinuari, atque ita longiores fieri, quam sit necesse.

In eo convenit prima formatio plantarum & animalium, quod fiant à partibus materiæ vi caloris in orbem convolutæ, sed in hoc discrepant, quod partes materiæ, ex quibus plantæ generantur, volvantur tantum in orbem circulariter, illæ vero, ex quibus animalia, volvantur sphæricè & in omnes partes. Nam si, verbi gratiâ, partes materiæ



tæ. Si vero partes materiæ volvantur sphæricè, tunicam rotundam efficient, quæ totum foetum involvit, ac proinde hic foetus non potest adhaerere terræ, ut plantæ, sed ita formatur; materia in hac tunica sphærica contenta, dum in orbem ita circulatur, transeundo ex C versus K, & inde circulariter in omnes partes, ut K, L, C, F, se revolvendo effici tubum CK, qui repræsentat œsophagum, præterea partes subtiliores materiæ istius cum non possint semper ita

22 PRIMÆ COGITATIONES CIRCA

facilè per istum canalem CK transire, secedunt versus M, ubi cerebrum repræsentant; crassiores verò, utpote violentius agitatæ, versùs N, ubi hepar & lienem efficiunt. Deinde redundantes spiritus ex cerebro efficiunt asperam arteriam, illique tunc continuam venam arteriosam, & contrà spiritus ex hepate redundantes efficiunt cavam, atque ex concursu cavæ & venæ arteriosæ generatur cor versùs O in medio corporis animalis. Hinc tres ventres in omnibus animalibus, & exterorum omnium membrorum conformatio facilè deduci poslunt.

Frigemus statim à cibo, cùm rectè valemus, quia tunc ciborum succus rectè per venas ingrediens massam sanguinis illam totam refrigerat, & tunc minus loci occupans confluit versùs cor, & deserit extremitates membrorum, quæ ideo magis frigent; eodem modo fit in febre, quia humor febrim causans sanguini se immiscet, & ingrediens cor ejus ignem imminuit, postea tamen auget, & sic omnia membra calefacit, ut aqua carbonibus injecta initio quidem eos extinguit, sed statim rursus inflammati magis ardent. Non semper autem frigemus statim à cibo, quia non semper ita confestim succi ciborum venas ingrediuntur, vel illi succi non refrigerant sanguinem, quinimo etiam aliqui efficiunt ut sudemus, præsertim in fronte, ut acetum, quia, cùm cor ingreditur, ibi magis inflammat, & statim evolat versùs caput, fierique potest, ut eodem tempore cibus efficiat, ut fronte sudemus, & extremitatibus frigeamus.

In sanguine sunt quatuor præcipua genera partium, tenues & leves, ut spiritus vini, tenues & ramosæ, ut olea, crassæ & leves, ut aquæ & salia, crassæ & ramosæ, ut terræ vel cineres. Tenues & leves faciunt *Ephemeras Febrim*, retentæ & putrescentes in extremitatibus valorum ob defectum insensibilis transpirationis. Crassæ & leves faciunt *Febrim Quotidianam*, putrescentes in stomacho & intestinis. Tenues & ramosæ faciunt *Tertianam*, putrescentes in cysti fellis. Crassæ & ramosæ faciunt *Quartanam*, in liene putrescentes. Putrefactio autem & adhæsio & reactio partium est ad partes parùm distantes, quæ putrefactio ignem in corde discutit, & ita humor pervenit ad venas, fit accessio, paulatimque discutitur, exonerat autem se cystis fellis in ventriculum & intestina, atque inde in venas alternis diebus, lien verò duobus diebus intermissis.

Certum est, membra foetus inchoari ex solo semine, antequam sanguis fluat per umbilicum, alioquin omnes partes solidæ fierent

intortæ, cùm magis vergat in sinistram partem, quàm in dextram.

Arteriæ ubique eò feruntur, quò leges motùs eas dirigunt, non habità venarum ratione; venæ verò eò feruntur, quò iis per arterias licet, unde fit, ut arteriæ sint infra venas in cute, quia minùs partibus internis impediabant initio, quàm ob occursum quorundam exteriorum.

Vena adiposa dextra est ab emulgente, & sinistra à truncō cavæ, propter inclinationem hepatis versùs sinistram.

Ad radiationem intelligendam, quæ exprimit in fœtu ea, quæ à matre attentiùs cogitantur, supponendus est fœtus in utero ita situs, ut caput habeat versùs caput, dorsum versùs dorsum, & latus dextrum versùs dextrum matris, & sanguinem à capite matris versùs omnem uteri ambitum æqualiter dispergi, ac deinde colligi in umbilico tanquam centro, ex quo rursus eâdem ratione ad omnes partes tendit.

Tres foci accenduntur in homine, primus in corde ex aëre & sanguine, alius in cerebro ex iisdem, sed magis attenuatus, tertius in stomacho ex cibis & ipsius ventriculi substantiâ. In corde est quasi ignis ex siccâ materiâ & densâ, in cerebro est, ut ignis ex spiritu vini, in ventriculo, ut ignis ex lignis viridibus. In hoc etiam cibi sine ejus adjumento possunt sponte putrefactare, & incandesce, ut foenum humidum, &c.

D E S A P O R I B U S.



Ot sunt Saporum differentiæ, quot sunt particularum, quæ nervos Linguæ afficiunt diversimodè, tuncque novem potissimum; nempe *insipidus* sive *mollis*, *punguis*, *dulcis*, *amarus*, *urens*, *acidus*, *salsus*, *acris*, & *austerus* sive *acerbus*.

Per *insipidum* non intelligo sapore carens simpliciter: nec enim inter sapores esset numerandum; sed quod idcirco gustui est ingratum, quod nimis debiliter sive molliter linguæ nervos moveat. Quippe corpora omnia integra, & tam dura vel compatta, ut eorum particulæ in ore non solvantur, carent sapore. Talia sunt metalla, marmora, &c. item etiam multa in particulas ad vistum satis minutæ divisa, ut farina, & similia, atque sub hoc genere insipidi & venena, & purgantia, & omne genus qualitatum latere possunt: nam in farinâ sunt partes acidæ, & spiritus ardentes, ut variâ fermentatione, destillatione, & coctione detegi potest. In arsenico latent partes dulces, acres, & amaræ, itemque in scammoneâ, & guttâ gambâ, sed non ejusdem modi; sunt etiam insipidæ particulæ quædam non ultra divitiae, & cinerum quorundam, quæ nempe ob crassitatem non magis, quam ista corpora integra, gustum afficiunt: quæ verò sensum quidem gustûs attingunt, sed satis non feriunt, & ideo sunt ingrata insipida, constant iis partibus, quas tribuo aquæ dulci, & funi vel anguillæ comparo, sed cum funis possit esse vel volans & flecti, magis contumax, vel attritus & mollis, aquam dulcem boni saporis ex motis ejusmodi particulis constare dico, aquam verò insipidam ex valde attritis, & tales sunt pleræque aquæ destillatæ, itemque id, quod inter destillandum Chymici vocant *phlegma*.

Nec verò necesse est, ut particulæ istæ insipidæ sint figuræ oblongæ funis ad instar, sed sufficit si consistentiæ sint mollis instar funis attriti, sive tomenti aut stupæ, ex quâ funis conflat; modo tamen

tamen non sint in ramos extensæ; ita enim efficerent *saporem pingueum*, quia ejusmodi rami sibi invicem adhærentes planè alio modo afficerent sensu: gustūs. Nec *pinguis sapor* in alio constat, quām in ejusmodi particulis mollissimis & ramosis.

Dulcis sapor interdum sumitur pro moderato & suavi, ut in aquā dulci, & tunc non constituit saporis speciem diversam, sed sæpius sumitur pro titillanti illo sapore, qui in melle, saccharo, & similibus deprehenditur, & tunc non consistit in particulis truncum simul & ramos habentibus, sive, ut aves, plumas simul & corpus, & quæ ratione trunci vel medii corporis satis fortiter agunt in poros Linguae, ratione verò ramuscotorum, sive plumarum, quibus solis nervorum extremitates attingunt, non illas lœdunt, sed suaviter tantum titillant.

Amarus sapor consistit in particulis crassiusculis, & instar lapidum vel faxorum figuratis, quæ ideo satis altè poros Linguae ingrediuntur, & tristi sensu ejus nervos pungunt, & ali' er tamen quām urentia qualia sunt spiritus vini, item acida & salsa, quæ alibi satis explicui. Ita facile intelligitur, cur dulcia ferè omnia amarescant facile, & in bilem vertantur, abscissis scilicet ramulis tempore vel cocturâ remanet & truncus.

Cùm particulæ nec sunt molles, ut pinguium, nec tam tenues, quām spiritus, aut ramuli dulcium, nec etiam tam crassiæ, quām sapore omni carentium, figuramque aliam habent, quām amarorum, aut salium, faciunt *saporem acrem*; & quoniam tales possunt esse figurarum valde diversarum, ideo acrimonia multiplex esse potest. Voco autem hīc acrimoniam hoc quod radit Lingua, & quod pro *austero* interdum sumitur, ut in vino rubro (quod est rude) cùm diu cum racemis bulliit. Notandum est acribus istis particulis spiritus esse admixtos, qui poros Linguae simul ingredientes, illas ibi celerrimè exagitant, atque ita *gustus acerrimos* atque *urentissimos*, ut *pyrethri*, *euphorbii*, &c. efficiunt. Quippe cùm plerumque figuræ ramosas coralli instar habent, facilè ab istis spiritibus agitantur.

Acerbus sive *austerus* & *adstringens sapor*, qualis est fructuum immaturorum, fit ex eo, quod sint pori in istis fructibus & similibus non nisi materiæ dispositâ ad celerrimè ex iis egrediendum repleti, & tam patentes, ut lingæ particulæ ipsos ingredi possint, quæ proinde revera eos ingrediuntur & locum occupant materiæ ipsos egredien-

dientis. Et quia hi pori valde diversi esse possunt, ideo etiam acerbus sapor est varius.

Sapores autem tantum simplices hic recensentur, sed alii compositi in infinitum ex his exsurgunt.

F I N I S.

